

1232.

[m. 2.]

*De castris de Skenefrith, Grosmund et de Blanchastell.*—Mandatum est Hugoni de Kynardesle, constabulario castrorum de Blanchastel, Skenefrith, et de Grosmund, quod predicta castra liberet P. de Rivallis, cui rex ea commisit custodienda. In cujus etc. Teste ut supra.

*De licentia cum platis et minis.*—Rex licentiam dedit et concessit quod omnes mercatores de quacunque terra sint, salvo et sine impedimento veniant in Angliam usque Cantuariam et Londoniam cum platis, peciis et minis argenteis, in cambiis regis ibidem cambiendis; et salvo ibidem morentur, et salvo inde recedant, faciendo inde rectas et debitas consuetudines.

*De protectione.*—G. Drummorensis episcopus habet literas de protectione patentes sine termino.

*De quibusdam cambiis prohibendis.*—Mandatum est omnibus ballivis regis in Anglia quod clamari faciant et prohiberi, ex parte regis, publice in civitatibus et burgis et omnibus villis, mercandis et nundinis per ballivas suas, ne aliqui Christiani vel Judei, sicut se ipsos et catalla sua diligunt, decetero cambium aliquod facere presumant de denariis novis vel veteribus, scilicet, novos pro veteribus vel veteres pro novis cambiantes; et ne aliqui aliquod argentum emant vel cambiant nisi in cambiis regis. Et si quos in ballivis suis talia facientes invenerint contra hanc prohibitionem regis, corpora, catalla, denarios et argentum, que cum eis inventa fuerint, sine dilatione et occasione salvo faciant arestari donec voluntatem suam rex inde preceperit. Teste ut supra.

*De custodia Insularum.*—Rex commisit Philippo de Albinaco et Willelmo de Sancto Johanne insulas de Gereseye, Gernereye, Serc et Alrene, custodiendas quamdiu regi placuerit. Et mandatum est omnibus de predictis insulis quod eis tamquam custodi regis intendentes sint et respondentes, sicut predictum est. Teste rege, apud Lambeth, xxvij die Septembris.

Et mandatum est constabulariis de Gereseye et de Gernereye quod eisdem Philippo et Willelmo predicta castra liberent. Teste ut supra.

Et mandatum est eisdem Philippo et Willelmo quod Radulfo de Nevill et Roberto de Say, quos rex mittit ad eos, fidem habeant in hiis que eis dixerint ex parte regis de custodia predictarum insularum. Teste ut supra.

*De protectione burgensium de Barbefle.*—Willelmus le Wynun, burgensis de Barbefle, et homines sui, habent literas de protectione in veniendo in Angliam et per totam potestatem regis cum rebus et catallis et mercandis ipsius Willelmi, et morando, et redeundo etc. usque in tres annos a die Purificationis, anno etc. xvij.

*De senescalia Wasconie.*—Rex commisit Hugoni de Vivona terram Wasconie, custodiendam quamdiu regi placuerit. Et mandatum est